

## Werk

**Titel:** Dubia De Principiis Philosophiae Recentioris

**Autor:** Forsskål, Peter

**Verlag:** Luzac

**Ort:** Goettingae

**Jahr:** 1756

**Kollektion:** vd18.digital

**Gattung:** Dissertation:phil.

**Digitalisiert:** Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

**Werk Id:** PPN641608004

**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN641608004>

**OPAC:** <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=641608004>

**LOG Id:** LOG\_0005

**LOG Titel:** Caput II. Unde Regularum Iustitiae Et Beneficentiae ...

**LOG Typ:** section

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact


Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
Georg-August-Universität Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen  
Germany  
Email: [gdz@sub.uni-goettingen.de](mailto:gdz@sub.uni-goettingen.de)

per necessario agat, numque principium rat. suff. hoc requirat, de his inferius dispiciendum erit.

5. *Ius cuique esse commoda sua adversus eum, a quo non dependent, tuendi, novumque jus oriri pactis & beneficiis.*

6. *Libere volentibus laudabile esse juste vivere, atque aliis benefacere, sibiique.*

De duobus his postremis 5. 6. in Capite 2. disquiremus. Conscientia vero nostri convincimur, nos de his omnibus propositionibus, & pluribus fortassis aliis, aequa ac de principio contradictionis, dubitare non posse. Omnes itaque eodem modo demonstramus. Ea, de quibus dubitare non possumus, vera sunt. De his 1. 2. 3. 4. 5. 6. dubitare non possumus. Haec ergo omnia vera sunt. Aliam illis demonstrationem reperire equidem nequeo, quamobrem haec principia aequa mihi prima videntur, ac principium contradictionis ipsum. A lectoribus autem veniam petimus, quod tamdiu illos hisce primis & evidentiissimis recensendis detinuerimus, quae scrutari sterile ipsi judicaremus, nisi cognoscendi curiositas, & eruditorum aliorumque doctrina, a naturae saepe simplicitate recedens, aliquando necessarium ficeret.



### C A P V T . I I .

VNDE REGVLARVM IVSTITIAE ET BENEFICENTIAE  
PRIMA ORIGO REPETENDA SIT, VEĽ QVOD ALII  
DICVNT, QVIDNAM MORALITATIS SIT FVN-  
DAMENTVM.

#### §. VII.

*Causa dissidii philosophorum circa principia justi.*

**F**elix hac parte doctrina de morum iustitia, quod in ejus pracepta ipsa, non modo omnis temporis philosophi, verum etiam totius orbis integri populi, perpetuo fere consenserint,

C

serint, magnas tamen dissensiones & controversias peperit, ubi ad praceptorum demonstrationem ventum est. Digna etiam admiratione res esset, potuisse de causa tam communis convictionis variam & ambiguam inquisitionem esse, nisi ipsius sensus causa facile appareret. Videntur saepe philosophi, non unde orta sit vulgatissima de justo convictio, sed unde oriri forte potuisset, docere velle. Hinc licet de fundamento justi se acturos promiserint, persaepe tamen non nisi notas tradiderunt, quibus discerni justum ab injusto rati sunt. Igitur cum res eadem multis agnoscatur indiciis, fieri non potuit, quin alii ex aliis notis justi & injusti discrimen peterent, atque adeo in variis abirent sectas. Horum omnium industriae & meritis nihil laudis detractum cupimus, sed quod magis nostrae conditionis esse potest, votum adjungimus, nolint tamen reliquorum sententias singuli damnare, ac si suis inimicæ essent, nolintque notas justitiae & ejus fundamentum pro re eadem venditare. Quis enim pacem non optaret, si v. c. de statu monachali disputationum alius vertice raso, alius vestibus, alius locis peculiaribus, alius denique certis actionibus, monachum distingui ab aliis urgeret, quisque autem reliquos omnes erroris argueret? Hinc namque diversa quidem, sed non contraria, dixisse, imo vera omnes, at neminem tamen, quid monachum faciat, aperuisse, censendi forent. Neque aliter de principiis justi philosophi multi bellum gerere videntur. Cum enim justa ita comparata sint, ut plerumque auctoribus ipsis utilia, & grata, seu instinctibus humanis congrua, sint, semper vero societati civili expediant, ut naturæ quoque seu mundi conservationi, finibus item, legibus atque perfectionibus divinis, consentiant, ex his rebus libertate sua usi philosophi alii alium characterem justi elegerunt, quisque autem ceteros simul refutare aggressus est. Nos omnibus hisce faciles daremus, eam esse justorum naturam, quam singuli praedicant, negaremus vero, propterea aliquid

quid justum esse, quemadmodum nec propter vestem militarem quisquam miles est.

*§. VIII.*

*Quid justum faciat.*

*Iusti* enim propriam significationem hanc credimus, ut sit, *quod juribus nostris & aliorum consentiat, injustum, quod repugnet juribus aliorum.* Ad justum itaque dijudicandum nil aliud nostra quidem ex sententia requiritur, quam ut sciatur quae cujusque jura sint, hoc est unde jura & qua proportione oriantur. *Fontes* igitur *jurium* indagandi erunt. Eos vero non plures, quam tres, *beneficia* puta, *pacta* & *independetiam*, nos quidem, plurimis exemplis generalibus specialibusque perpenfis, reperimus.

*Beneficia* jus gratitudinis pariunt, qnod ab illo, qui *beneficia* accepit, requirit, ut benefactori paria praestet, vel si hoc non valet, quanta ei praestare potest. Hinc jus Dei in creaturas, parentum in liberos, & benefactorum quoruinvis in clientes, oritur. *Paria* autem *beneficia* non sunt, quae dantibus parem laborem, sed quae eadem sunt, vel quae accipientibus paria commoda, efficiunt; alioqui in Deum possent nostra merita majora esse, quam ejus in nos sunt. Nam possumus creatorem majori labore colere, quam quo ille mundum universum condidit. At talia illi tribuere commoda, qualia nobis tribuit, non possumus, nunquam itaque ejus aere eximus. Sic etiam parentibus, si vel sola illis vita deberetur, parem referre gratiam nemo, nisi qui vitam aut huic aequale quid reddere, mortisve periculo liberare potest. Redditis vero aequalibus beneficiis, quo minus jus gratitudinis esse desinat, nihil obstare videatur.

*Pacta*

C 2



*Pacta* tantum juris promissi tradunt, quantum in potestate paciscentium erat. Iura nempe aliorum pactis nostris transferre nequimus. Hinc jura imperantium, operasque & merces vendentium atque ementium, cet.

Denique ex *independentia* jus sequitur commoda nostra (quae nostro labore nobis paravimus, aut sine aliorum injuria accepimus) eorumque usum adversus eos tuendi, a quibus non dependent. Hinc origo dominii. Res namque nullius cedunt primo laboranti, s. excolenti (cur enim occupanti, sibique tribuenti?) donee superveniens aliis, qui ad eam rem aequale ius habet, partemque dimidiam postulat, prioris laborem auctori suo vel alio in loco restituerit, vel alia ratione compensaverit, secundum aestimationem primi laborantis.

Quid *jus* deum ipsum sit, mallem usu communi satis cognitum esse adfirmare, quam verbis definire, maxime, cum credam hoc ne quidem posse fieri. Neque tamen erroris quidquam verendum est, modo moneatur, *jus* hic non sumi, ut interdum solet, pro collectione legum. *Obligatio* vero (*passiva*) commode definiri potest per *defectum juris*, vel etiam, si prius obligationis nomen ut per se cognitum spectaveris, *jus* per defectum obligationis definire potes. *Ius* enim & *obligatio* ita connexa sunt, ita alterum ab altero simul sequitur, ut perinde prorsus sit, utri primum in hac doctrina locum, primamque considerationem, dederis.

### §. IX.

#### *Defenditur explicatio vocum justi &c.*

Quae de voce & origine justi credamus, aperuimus, sequitur, ut nos haec non sine ratione credere demonstremus. Primum itaque explicationes vocum, *juris, obligationis, justi & in-justi*, deinde caussae jurium, nobis defendenda erunt,

De

De vocum significatione unica est disputatio; utrum eum illis sensum tribuerimus, quem communis usus loquendi tribuit, an secus? Hic enim jure consultos, tanquam artis peritos, sequi, quod nonnemo suasit, non possumus, cum quaeramus, non quid iustos, sed quid genus humanum, de justitia convicerit; ideoque non quam docti fabricaverint, sed quam ab indoctis omnes didicerimus, harum vocum significationem, nobis indagandum sit.

*Iuris* definitionem dare nullam potuimus, & ne quidem nos poenitet nequivisse. Minime enim opus est, ut voces sermonem communem familiarissimas & certae significationis operose definiamus, neque fieri potest, ut omnes notiones in simpliciores alias resolvamus. Aliquando in simplicissimis erit subsistendum. Notionem autem juris in simplicissimis etiam numerandam esse, propterea suspicor, quod mihi diu tentanti definitio ejus nunquam successerit, magis vero etiam quod tot viri doctissimi, & in definiendo exercitatisimi, hujus tamen vocis non nisi synonymous explicationes, easque saepe voce ipsa obscuriores, dederint. *HVGGO GROTIUS de jure B. c. P. lib. I. c. I. §. IV.* *jus* vocavit qualitatem moralem personae competentem ad aliquid iuste habendum vel agendum, itaque idem per idem explicavit. Ab eo verbis non re abeunt alii, qui libertatem, vel facultatem, agendi, vel licite agendi, appellant. Physicam enim libertatem vel facultatem (quae in sufficientia virium consistit) si intellicherent, falsa definitio foret; si moralem, quis non prius caperet, quid *jus* sit, quam quid sit facultas vel *libertas moralis?* Qui dicunt facultatem esse *licite agendi*, praeter dubiam & obscuram facultatis vocem non definitionem juris, verum ejus synonymous tantum, adjungunt. *Iustum* enim idem est ac *licitum*, idque *jus* in homine est, quo ei aliquid licet, & vicissim licet, quantum juris est. Notio itaque juris

hoc



hoc modo ne minimum quidem clarior evadit. Sufficit tamen illa per synonymon explicatio ad *jus personae*, a *jure*, pro le-  
guin complexu accepto, discernendum, quo facto id vocabu-  
lum nulli ambiguitati est obnoxium. Aequo ergo hoc praestat  
data a GROTIUS juris definitio, ac reliquae. Si vero repetitio  
eiusdem vocis *justi*, vel incertus sensus *facultatis*, displicerit,  
posse ita *jus περιφερέων*, ut dicas qualitatem esse personae,  
vel relationem personae ad alia, qua aliquid agere vel omitte-  
re liceat.

*Obligationem*, juris defectum vulgo significare, omnia  
exempla docere possunt. Quia vero *defectus* aliquid inesse ne-  
gat, obligatio vero speciem & usum vocabuli affirmantis habet,  
oportet, ut *obligatio ad faciendum* dicatur *defectus juris* aliquid  
*omittendi*, & vicissim *obligatio ad omittendum* *defectus juris*  
*agendi*. Sic si *jus venandi* (*faciendi*) princeps cui ademerit, di-  
citur *obligare* ad *omittendam* *venationem*; quodsi vero obliga-  
verit ad *sacra certo die habenda*, *jus cultum* ejus diei negligen-  
di (*omittendi*) sustulit.

Igitur, cum contraria jura, quae eandem rem justam &  
injustam redderent, nemo facile praeter HOBESIVM docuerit,  
vel credere potuerit, sequitur, ut, si nobis *jus* aliquid in ali-  
um sit, idem impediendi *jus alteri* desit, hoc est, ut unius juri  
alterius obligatio semper respondeat. e. g. Si cui *jus* alte-  
rum occidendi, hic jure se tuendi careret & obligatus ad hoc  
foret, ut se occidi pateretur. Pari modo neque obligationes  
contrariae esse possunt, ideoque obligatione unius erga alte-  
rum, alterius *jus* constituitur. e. g. si quis obligatus esset ad pe-  
cuniae summatam alteri solvendam, quin alter *jus* pecuniam il-  
lam accipiendo habeat, dubitari nequit. Potes itaque & *jus a-*  
*gendi* defectum *obligationis* ad *omittendum*, & *jus omittendi*  
versa vice, appellare. Tum vero oportet, ut *obligationis* vo-  
cem vel per se claram esse admittas, vel per *synonyma* expli-  
ces,

ees, & quemadmodum *jus* qualitatem diximus, qua licet, ita obligationem qualitatem dicas, qua quid non liceat. Atque sic patet, eodem rem redire, sive obligationem primum, sive *jus*, cogitaveris. Quod vero per motiva, vel a superiore, cum actione connexa, nulla existat obligatio, licet multis ex recentioribus ita visum sit, inde evidens est, quod superior etiam legibus injustis addere gravissima motiva possit, & nunquam tamen obligemur, ut injustis obtemperemus legibus.

*Iustum* non aliud vulgo esse, quam quod juribus consentiat, vel eo constat indicio, quod notiores nobis linguae *justum* a jure appellaverint, quodque Germanica lingua & adfines pro justo saepe etiam diserte *juri consonum* dicant, *rechtmäßig* Svet. *rättmätig*. Neque alium deprehendes sensum ab indoctis, simplicem sermonem sequentibus, illi vocabulo tribui. Quaeras e. g. ab aliquo, cur, si quis foenum in ejus prato secerit, id non ferat, sed pro injuria habeat, & prompte respondebit, aliis nullum in sua prata *jus esse*, sibi vero soli esse. Neque ullum adferri posse justi exemplum, ubi haec definitio non quadret, tuto afirmare possumus, nec alioqui constare sibi posset, quae ab omnibus conceditur, regula: *eum, qui jure suo utitur, nemini injuriam facere*. Quominus itaque *injustum*, justi contrarium, illud sit, quod juribus repugnet, dubitari nequit.

Licet autem certissimum sit, *eum, qui jure suo utitur, nemini inferre injuriam, & vicissim, justum juribus suis convenienter vivere, mallemus tamen justum id vocare, quod aliorum juribus, quam quod nostris, congruat*. Alioqui facile ita mentem definitionis nostrae quis perverteret, ac si justitia requireret, ut jura nostra accurate exsequamur, nihilque de illis remittamus. Illud vero a nostra sententia, & a veritate, alienum foret. Cuivis enim integrum manet *jus suis renunciandi* juribus, ideoque jure cedere licet, immo vero decet magnum animum.



animum. Sed aliorum juribus, nostrisve obligationibus' nihil detrahere licet, nullus itaque errori locus est, si harum tantummodo mentionem justi definitio faciat.

Ex dictis concludimus, totius juris naturae, quod juste vivere praecipit, hanc suminam esse: *juribus aliorum convenienter vive*; vel, si laesio moralis (i. e. injuria) intelligatur: *neminem laede*; vel: *tribue suum cuique*, aut quod mallem: *tribue alteri suum*. Ut enim tua etiam tibi tribuas, hoc non iustitiae regula est, verum prudentiae. Iustitia id permittit quidem, at non postulat. Iam vero ad origines jurium examinandas accedamus.

### §. X.

#### *Defenditur triplex origo juris.*

Tripli via jura primum existere, beneficiis, pacto & independentia, nec praeter hos, alios, vel priores, fontes, habere, supra (§. 8, 5.) adfirmavimus. Quinque autem arguuntis in hanc sententiam adducti sumus.

1) *Quod hac ratione jura oriri totum genus humanum faciat*, & tamen cur ita orientur, explicari a nobis nequeat. Nihil itaque aliud relinquitur, quam ut has veritates pro tam necessariis, tamque animae nostrae primis, habeamus, quam ipsum est contradictionis principium. Id etiam supra fecimus (§. 6, 5.), & magnas habebimus illi gratias, qui aliam nobis haec demonstrandi rationem vere ostenderit. Neque enim a divina voluntate, neque a commodis nostris (perfectionem nostram dicunt) haec pendere, infra (§. XI.) evincemus.

2) *Quod nulla indagare potuerimus divina humanave jura, quae ex his non possint derivari*. Tandiu itaque tria, quae diximus, juris principia sufficere adfirmamus, donec exemplis quis doceat plura requiri. *Jura autem ad officia humanitatis,* seu

seu, *jura non cogentia*, recentiorum inventum sunt, cujus in communi vita obliviscimur. Quid enim majus paradoxon dici potest, quam non licere jure suo uti, aliosque, ut hoc obseruent, vi adigere. Egenis si jus in bona divitum propter egestatem esset, sequeretur, divitem, ubi pauperem non subleverit, jus ejus violare, ideoque injustum esse. Hunc tamen nemo injustum, at imminicordem quisque appellaret. Suo etiam exemplo omnes discere possunt, tum maxime ab alienari animum & injuriam sentire, cum quis propterea, quod nostra ope indigeat, nostra officia, tanquam jure sibi debita, postulat.

3) *Quod hinc jura vulgus repetat, & suam de justo convictionem hauriat.* Brevi nempe colloquio cum indocto disces, eum, si, cur quid justum judicet? interrogaveris, primum ad iura confugere, deinde ubi caussam juris postulaveris, aliquam ex tribus illis adferre. Nobis certe ita evenit, nec dubitamus alios, si adtente vulgi animos tentaverint, idem deprehensuros fore. Quem libuerit vel indoctissimum & religionis omnis expertem quaeras tantummodo, num & quare injustum censeat, si quis ei stipendium non solverit, vel id officii quod a se accepit, praestare recusaverit, vel sua ademerit? & satis exemplorum habebis. Sed a vulgo philosophiam discamus? immo vero aliam non habemus. Quicquid operose de anima (\*) & Deo demonstrant philosophi, id vel sine libris, sine doctorum institutio-

ne

(\*) Omnes enim Philosophiae, quae nostris temporibus hoc nomen proprium habet, partes universae, praeter Theologiam naturalem, de anima agunt. Ex conscientia enim nostri demonstrant, esse animam & qualis sit, in *Psychologia*; deinde fuisus, qua ratione de vero judicet, in *Logica* & in utiliori parte *Ontologia*, qua ratione de justo & aequo, in doctrina de jure & aequo naturali; denique, qua ad summae felicitatis sensum perveniat, in *Philosophia moralis*.

D



ne plebejus quisque, nisi fabulis majorum corruptus fuerit, cognoscit & fatetur. Philosopho nihil relictum videtur, nisi ut veritatibus propter evidentiā vulgo cognitis ordinem & nem̄ addat. Quae enim in scriptis Philosophorum praeter ordinem novi speciem faciunt, quantum eidem percepī, vel barbararum multitudo vocū est, qua communis appellatio notissimarum rerum in aliam mutatur magis determinatam, minus intelligibilem, & descendam saepius si scires; vel ejusmodi sunt, ut histrionum fortuna in scenā producta admirationem primum, mox risum, moveant, brevique iterum evanescant, quemadmodum etiam cogitationi monadū, harmoniae praestabilitae &c. nostra aetate accidere videimus. Hisce & aliis nos territi vestigiis, in philosophia sapere ultra vulgus non cupimus. Neque tamen haec in contemptum philosophiae dicimus. Nisi enim recto ordine explicetur communis cognitio, persaepe fit, ut illi, qui majori curiositate, quam adtentione, philosophiam plebis in ordinem redigere ipsi incipiunt, adfinia pro iisdem habeant, seductique systemata condant, quae vitam moresque hominum valde corrumpere possint. Neque vero clarissimarum rerum obscuris nominibus delectari, doctis illis invideimus, quibus ita volupe est, otium consumere. Nos ista, quantum possumus, fugimus, cum nobis videatur, perexi-  
guum hinc aliis exspectari posse intra scholae parietes usum, in reliqua vero vita nullum, cumque saepe viderimus lingua utentes philosophica aliquos confundere, ipsosque interdum ludibrio cuidam illis esse, quibus non docta omnia, quae ignota, sunt. Ubi vero seculi genio amor vocū ita invaluerit, ut pro illis tanquam pro aris focisque pugnent eruditi, veritatis & pacis amanti unum est in philosophia consilium, ut inverso proverbio sciat sibi cum vulgo sentiendum, cum eruditis vero loquendum esse. Hic in primis, quando causam quaerimus  
convi-

convictionis de justo, omnibus communis, ut illam apud vulgus, non apud eruditos, investigemus, res ipsa postulat.

4) *Quod, nisi juris origo creditur absolute necessaria, jus ipsius Dei in homines demonstrari nequeat.* Fatemur vero, nos eundem sensum vocabuli *juris* cogitare, quando Deo, ac quando hominibus, *jus* tribuimus. Nulla enim necessitate, & ne quidem arguento ullo, cogimur ad consuetissimam hujus vocis significationem mutandam, ubi de Deo sermo est. Longe majora divina jura agnoscimus, quam humana quaevis, at neque humana aequalia sunt; ideoque si magnitudine illa genus juris & definitio commutaretur, quis modus esset diversarum explicationum hujuscce vocabuli vel in doctrina de juribus hominum? Porro si *jus* Dei in homines peculiarem significatum haberet, hominum quoque erga Deum *obligatio* diversam definitionem postularet, justum quoque, injustum, lex, legislatio, obedientia, officia, et alia omnia significanter, ubi ad Deum referuntur, quam alias. Immo eadem ratione veracitas, bonitas, sanctitas, potentia, vel ut paucis absolvam, quaecunque de Deo & hominibus dicuntur, diverso modo utrobique intelligenda forent, & de peculiari demum Theologiae naturalis lexico erit cogitandum. Mihi vero videntur Theologi nostri optime contra statores absoluti decreti monuisse, justitiam, veritatem reliquaque virtutum & aliarum rerum nomina, ita de Deo accipienda esse, quemadmodum de hominibus; cum ipse nobis Deus attributa sua iisdem dijudicanda regulis, & ubi fieri potest, iisdem imitanda virtutibus, in revelatione sistat: Neque aliter judicare poslunt Philosophi, nisi velint, quod certus scio illos nolle, iisdem verbis alia tradere in Theologia naturali, quam quae in revelata docentur. His igitur permoti rationibus vulgarissimum *juris* significatum & hic retinemus, usumque loquendi sequimur, quem qui in hac parte deserunt,

ut



ut dicant, cur id magis placeat, quidque illud tantum discrimini  
nis juris Dei & hominum efficiat, rogamus.

Quo demum cunque vero sensu Deo jus tribueris, ratio-  
nem cur tribias, adferre oportet. Haec ratio ut a voluntate  
divina non pendeat, necessarium est. Patet enim ita concludi  
non posse: vult Deus, ergo juste vult. Deinde haec ratio cer-  
ta erit, si convictionem pariet. Itaque a divina voluntate non  
dependebit, & tamen certa erit, causa divini juris, hoc est,  
erit absolute necessaria, qualia sunt principia veri & veritates  
mathematicae. Hanc juris divini causam creatione contineri,  
omnes fatentur, qui Deum creasse non negant. Mundo autem  
creando Deus se humano generi 1) excellentissimum, 2) poten-  
tissimum, 3) auctorem omnium, atque 4) beneficentissimum,  
demonstravit. Quidnam itaque horum de jure divino nos do-  
ceat, considerandum est. Deum justam habere venerationem  
*propterea quod excellat*, EPICVRO jam negarunt antiqui philo-  
sophi, (\*) & nisi negaretur, quisque qui superior nobis cogai-  
tione vel virtute fuerit, etiam juribus foret. Laudem meretur,  
at jus imperandi postulare non potest, qui aliis antecellit. Mul-  
to minus *potentia* Deum universi orbis regem justum consti-  
tuit. Alioqui ob eandem rem & homines quo potentiores, eo  
justius in imbecilliores imperium haberent. Si nihil in Deo,  
nisi potentiam, spectares, prudentiae quidem regula esset ei  
cedere, quem vincere non posses, non autem praeceptum justi-  
tiae. Ne id quidem, quod Deus vitae nostrae & omnium re-  
rum au<sup>r</sup>or sit, sufficeret ad justum imperium, si tales nos  
condi-

(\*) Vid. CICERO de nat. Deor. lib. I. ubi pag. 14. edit. oper. Ha-  
nov. 1609. EPICVRI doctrina habetur & p. 32. COTTAE Aca-  
demici responsum: *quae pietas ei debetur, a quo nihil acce-  
peris, aut quid omnino, cuius nullum meritum sit, ei deberi  
potest? - - - Dii quamobrem colendi sint non intelligo, nub-  
lo nec accepto ab iis, nec sperare bono.*

condidisset, ut ejus culpa miserius esset vivere, quam nunquam vixisse. Hoc enim nil aliud fuisset, quam crudelis demonstratio potentiae, eodemque jure latrones requirere possent, ut, quos miseros reddiderint, sibi postea morigeri sint. Relinquitur ergo, Deo jus in homines esse propter *beneficia*, quae etiam ab hominibus praestita majorem gratitudinem, prout majora fuerint, mereri, omnes agnoscimus. Cum itaque causa juris divini esse absolute necessariam iam evictum sit, patet necessarium esse, ut beneficia jus grati animi pariant, patet etiam ad hujus observationem juris vi adigi negligentes posse, vel, ut dici solet, hoc *ius cogens* esse, nisi Deo ipsi id denegare volueris. Cognita vero hujus juris origine, minus miraberis & reliqua jura necessitate sua oriri (n. 1.), nosque a voluntate divina jura non repetere, quando ex ipsis ea haurire fontibus studemus.

5. *Quod aliae jurium origines, a recentioribus constitutae, vel veram justitiae causam non contineant, vel ad hasce nostras regrediantur.* Huic autem commentationi peculiarem dabiimus paragraphum.

### §. XI.

*Iustitiam neque ab utilitate nostra, neque a voluntate divina, pendere.*

Varia Philosophis placuisse justi principia, satis constat, & supra §. 7. monuimus. De singulis agere nec paucis possemus, nec magnopere necessarium ducimus, postquam nostra aetate duo juris naturalis systemata inter reliqua caput extulerunt, ceteraque fere suffocarunt omnia. Sufficiet igitur nobis haec tantummodo adtigisse, maxime, cum reliqua iisdem facile feriantur rationibus, vel dissidentis opera multitudinis jam satis oppugnata sint. Hic itaque nobis cum illis solis res erit, qui jura omnia

vel



vel 1) *utilitate nostra* (perfectionibus nostri \*) vel 2) *divina voluntate* constitui docent.

I. In primo systemate valde admiranda est philosophicarum rerum revolutio & vicissitudo. Hoc ipsum enim, quod CARNEADI olim potissimum argumentum erat omnis negandae iustitiae: *jura hominum pro utilitate sancta esse, hominesque ut cetera animalia natura sua ad utilitatem sequendam duci*, vid. LACTANT. inst. div. l. 5. c. 16. in nostra tempora facta reservarunt, ut verum ferretur & sacratissimum iustitiae fundamentum. Nos etiam, si hac norma justum aestimandum esset, mallemus in CARNEADIS ire sententiam. Fateatur enim mundus universus juri suo, suaeque utilitati, renunciare quemque posse, & nisi hoc crederetur, pacta omnia, quae alteri pacientium quantulumcunque noxia deprehenduntur, injusta & irrita forent, nullaque demum in pactis certitudo superesset. Igitur, si & obligationes nostrae & aliorum jura, verbo, si actionum iustitia, a nostra utilitate suspenditur, manifestum est, nostro arbitrio posse cum utilitate nostra obligationes etiam omnes excuti, & jura aliorum tolli. Actionum itaque iustitiam abrogare posses, quoties libuerit commoda tua negligere. Cavendum tibi est ab altero occidendo, non aliam ob caussam, quam quia expedit. Placet autem aliquando utilitatis tuae minus studiosum esse, alterum igitur occidis. Imprudenter agis tua commoda negligens, at non injuste tamen, jure enim uteris tua deferendi. Capite postea plecteris, non quia injustus fueris, sed quia imprudens. De-

nique

(\*) Pro perfectione, minus hic apto vocabulo, commoda nostra, vel utilitatem, diceimus: *perfectum enim est, quod ad finem intentum sufficit, nostraque propterea perfectio status ille animi esset, in quo satis earum rerum habetur, quae perpetuae nostrae intentioni & felicitatis desiderio respondeant*. Hinc non singula, quae ad finem illum conferunt, non commoda singula, *perfectiones apte dici possunt*.

nique, quicquid egeris, jure tuo ages, & si quando didiceris prudenter etiam occidere bonaque aliorum auferre, nemo te felicius iustitiam prudentiae junxit censendus erit.

Demonstrationem hujus systematis, quam in compendium misit cl. THÜMMIGIVS *Instit. Phil. Wolfiana* T. 2. §. 9. seqq., verbis fallere, facile ostendi potest. Illius haec summa est: *Obligamur ad eas actiones, quibuscum motiva connexa sunt §. 18.* At natura ipsa hominum motiva connexa sunt cum actionibus per se honestis §. 19. id est, sua natura utilibus §. 19. 12. *Obligamur igitur ad actiones per se honestas committendas i. e. ad actiones per se utiles.* In hac tota argumentatione nihil est, quod concedi possit. Primum, non obligamur motivis. Nam & injurias cum actionibus motiva connexa sunt, hinc ad scelera quaevis obligati essent eorum auctores, motiva enim sequuntur connexa cum sceleratis actionibus. His adde quae de obligatione supra monita sunt §. 9. Deinde, nulla actio per se spectata i. e. ubi neque subjectum simul, neque praedicatum, consideraveris, utilis, vel inutilis, perpetuo est, sed variatur rebus circumstantibus. Ita utile est, quidquam defendere, immo se defendere, at non adversus potentiores, qui resistentia ipsa ad majorem irritatur injuriam. Multo minus justa, vel injusta, actio ulla est, si per se spectetur, nec ad jura referatur aliorum. Non enim injustum censeri potest, quantumcunque damnum alii inferre, qui prior pari ratione laeserit; hinc & dolus, & rapina, & caedes ipsa, interduim, e. g. in bello, justa judicantur. Denique *actiones honestas & justas* idem esse, ac si *actiones utiles* diceres, hoc ipsum erat, quod non sumere sed probare oportuisset.

At, inquis, conscientiae tranquillitate, quae juste vivendo acquiritur, magis bonum nihil est. Hoc itaque maximum suum bonum qui perpetuo sectatur, aliis nequit inferre injuriam. Faterer haec omnia, si nunquam erraret conscientia, Ubi errat vero,



vero, ipsa injustissimae crudelitatis mater est, ut in persecutionibus religiosis apparuit. Quodsi vero nec falleret unquam, justitiam tamen non doceret, sed ejus comes atque discipula foret, tranquilla conscientia. Grata nobis justa sunt (§. 6. not. \* 3.) at necesse est, ut, antequam ob justitiam aliquid placere possit, antequam nos vel laetitia exhilaret vel angore perturbet justi & injusti conscientia, prius sciamus justumne sit, an injustum, quod commisimus. Conscientia igitur regitur cognitione justi, non versa vice, nec justae actiones sunt, quia placent, sed placent, quia justae habentur. Speciosissima vero hujus systematis defensio ea est, quod dicatur, concedi ab omnibus, virtutis omnis ideoque & justitiae summam esse, *bona facienda, mala vero esse omittenda.* Iam, inquiunt, *bona* sunt, quae utilia, ideoque eadem regula his etiam tradi verbis potest: *utilia facias noxia fugias. I. perfectionem tuam moveas.* Omnia autem ad ambiguatem unius vocis *boni* redeunt, quae fortassis systema ipsum peperit. Aliquando enim *bonum* dicitur pro eo, quod *gratum* vel *utile* est, aliquando autem idem est ac *justum* & *aequum*; vel, quod alii appellant, & physicum & moralem significatum haec vox habet. De hoc communis illa regula virtutis, de illo vero definitio boni, quam tradunt, qui ex communis nostris jura repetunt, intelligenda est. Ubi itaque praeceperis moraliter *bona* i. e. *justa* & *aequa* *perpetrare*, nova oritur quaestio, quid moraliter *bona* faciat? atque necessitatem hoc modo, non fontem, justitiae docuisti.

Praeterea autem, quod hoc juris naturae sistema, ut jam diximus, 1) justitiam a nostro suspendat arbitrio, id est, evertat omnem, quodque 2) ab auctoribus probatum non sit, plura etiam contra illud moneri possunt. Nam 3) vulgus, sensum communem sequens, longe aliter de justo judicat. Illi semper alia quaestio est, quid utile, quam quid justum sit? Ita si vel Deum cogitares homines felices condidisse, postea autem nec

facino-

facinora punire, nec recte facta remunerare, eum negligere ludibrio & odio habere, solis Wolfiano more docentibus injustum non esset, quia inutile foret illum Deum colere, a quo nihil boni exspectare posses; at aliis omnibus summa tamen in creatorem beneficium injuria videretur. Vel, si quis tibi certam intercessionem comminaretur, nisi alium insontem occideres, cui nisi eum tu interficeres, parceretur; secundum Wolfii certe regulas licet, immo oporteret insontem occidere tui conservandi causa. Alii vero comminantis injuria tibi jus nullum in vitam alterius tradi, judicabunt, credentque non justitiam, neque vero Deum vitae ipsum datorum, requirere, ut diutius vivus, quam justus sis, ut tua defendas aliorum injuria. Denique nihil hac doctrina magis iniunicum fangi potest virtuti illi magni animi, qua aliorum commoda nostris aequiparamus, immo anteponimus, aliosque magis quam nos diligimus \*\*); quo tamen amore nihil esse potest laudabilius, nihil societatibus humanis

saluta-

(\*\*) Alios autem supra nos diligere non tamen est alios diligere nullo nostro commodo. Ipse enim amor erga alios & nos delectat. Sed est *paria commoda* aliis tribuere malle, quam sibi, est magis ad aliorum utilitatem adtendere, quam ad suam, idque fieri potest propter ipsam rei dignitatem, quae voluptatem in animo efficit, experientia teste. Ita amicum seipso cariorem habuisse dicitur, qui vitam ponere pro alterius vita voluerit. Hic igitur nobis opponi non potest, etiam magnum animum sequi voluptatem & utilitatem suam. Nam inverso ordine sequitur voluptas magnum animum, & quemadmodum nuper de justo diximus, ita & nihil ob honestatem delectare potest, nisi prius cognoscatur esse honestum. Hoc itaque aliunde cognoscendum est, quam ex ipsa delectatione honestatis. Denique, si honesta etiam grata essent, antequam resciveris ea honesta esse, tamen gratus ille sensus fallax foret honestatis indicium, cum & multa alia grata sint, quam quae honesta, immo inhonesta ipsa aliquando multis placeant,

E

salutarius. Quando enim major nostra utilitas suprema lex omnium actionum constituitur & nostris cedere commodis tantopere vetatur, fieri non potest, quin haec hominem forment fibi vivente, aliorumque, quibus minus indiget, negligentissimum.

II. Alterum systema, de quo hic agemus, illorum est, qui voluntatem vel leges Dei primum jurum & obligationum fontem habent. His vero sine controversia damus, legibus divinis omnes obligari, at non iis nos primum obligari, neque obligari iis quia *divinae*, sed quia *justae leges* sunt, existimamus. Nam 1) quoniam & injuste aliquando superiores jubent, legesque ideo sanciunt injustas, quibus nemo parere tenetur, igitur si leges *divinae* ratae habebuntur, monstrandum prius est, eas esse justas. Neque difficile hoc est demonstratu. Conceditur enim ab omnibus, & ab illis ipsis monetur, qui hoc systema adoptarunt, Deo propter summa beneficia, nobis creatione collata, sumimum jus esse imperandi, quaecunque ab hominibus praestari possint vid. *Supra* §. 10. n. 4. Sed qui ita *jus divinum* a priori fonte ipsi derivant, cur leges tamen divinas omnem obligandi vim ex hoc divinum jure accipientes, *omnis juris primum fundamentum* vocent, non intelligo, neque magis, cur potius a primis fontibus *jus primo divinum*, deinde ex hoc humana jura, repeatant, quam ut & divina jura & humana ad eosdem primos fontes statim referant.

Deinde 2) non magis *justi*, quam *veri*, principia a divina voluntate pendere \*), ita colligimus. Credimus nobis dari a) *injustum esse pacta violare*, atque hinc *Deum*, si *promissis stare nolle*, *injustum fore*. Quodsi vero b) idem esset; *Deum* aliquid velle atque: *aliquid justum esse*, lequeretur etiam, si *Deus fallere fidem vellet*, hoc ipsum quoque *justum fore*. Id vero

quam

(\*) H. GROTIUS de I. B. e. P. lib. I. c. 1. §. X. 5: *Est autem jus naturale a deo immutabile, ut ne a Deo quidem mutari queat.*

quam repugnet concessis, patet. Nec objici potest: hypothesisin esse impossibilem, *Deum pacta violare velle.* Concedam enim esse impossibilem, non tamen concludendi vi careret. Nam, si quis urgeret V (voluntatem divinam) & J (justitiam) idem esse, atque ostendi posset, vel mutato V, J tamen manere immutatum, satis constaret V & J diversa esse, licet hypothesis impossibilis sit, τὸ V mutari. Itaque si ex propositionibus alios primam (a) veram fateris, ut alteram (b) neges, necesse est.

Denique 3) num Deus leges illas tulerit, quas ferre posset? num requirat a nobis, quantum illi debeamus? philosopho difficilior, nostra quidem sententia, quaestio est, quam ut omnem juris doctrinam, cuius magnam certe partem certissimam esse constat, ab hac incerta controversia suspendi optaremus. Dubio caret adeo nos creatori obstrictos esse, ut quamcunque illi gratiam retulerimus, majorem tamen debeamus, nullumque ideo nostrum esse possit in Deum meritum §. 8. At cum Deum tam bonum credamus, quam justum, philosophus fortassis ab eo sperare potest, ut, quod in bonis laudamus parentibus, sua non ex asse repeatat, ut majorem, quam quo alios amplectimur, amorem, non tamen omnem, postulet. Ex his doctrina pendet de indifferenta multarum actionum humanarum, quae tanti ponderis in omni vita habet. Quodsi enim nihil Deus de jure suo remisisse censendus sit, omnibus erit omni tempore omnique vi animi cogitandum, quo pacto majus aliquid ad gloriam Dei conferre possent, nec aliud agere liceret, quam quod omnium maxime divinae gloriae inserviret. Nihil itaque indifferens foret, nisi quando eodem tempore plura simul maximum, ad honorem Dei, ideoque aequale momentum, adferrent. Hoc itaque eo omnes pellere videtur, ut tragicum illorum agmen sequantur, qui jocos, ludosque & alia omnia vitae lenimenta, quae nos magis quam Deum delectant, severe prohibent ac damnant. Ne-

E 2

que

que, ubi crederes majori Deo gloriae esse posse, si gentibus in orbe superstibus inauditam, quam si Christianis cognitam, Christi doctrinam inculcates, commorari in Europa Christiana sine peccato posses, sed vagandum tibi per orbem terrarum esset, ut Apostolorum in morem Evangelium enarrares omni creaturae. Bona si quae labore tuo paraveris, vel aliunde acceperis, non vitae commoditatibus impendere liceret, sed quicquid necessitatibus vitae (quam vero paucae hae sunt?) subtrahere potueris, id omne in pios usus convertere oporteret. Fuere etiam & sunt, qui ita cogitent, qui leges divinas secundum jus Dei aestimant, harumque consecatoria in moribus etiam agnoscant. Superior tortassis Anabaptistarum secta, rigidiique, quos singulae fere Christianae ecclesiae enixaerunt, morum censores, his principiis non minus, quam Scripturarum S. interpretatione in doctrinae & vitae austерitatem perducti sunt. Plerique autem, licet de legibus divinis eadem fateri soleant, in communi tamen vita consecatoria negligunt, negantque. Ad horum mores si animum advertero, nec tamen quid agant, sed quid sine peccato se agere arbitrentur, consideravero, re ipsa videntur hoc sibi de legibus divinis constituisse systema: Deum non omnia requirere, quae illi debeantur, aequo esse animo, si modo illum super alia omnia dilexerimus; quae vero nos ipsos spectant, quaeque sola humanitate moti aliis praestamus officia, nostro arbitrio & libertati reliquisse. Autochiriam tamen atque magnam & intemperantiam & inclemantium plerique ut lege divina vetitam excipiunt. Ceterum, si quis amore Dei super omnia alios antecellat, si quis sua commoda pro Dei gloria deferat, si quis erga se prudentior vivat, hoc magis placere Deo, magisque ab eo remunerari credunt, at si & intermissum fuerit, non tamen alicui peccato verti. Habent & sacrae literae, quae hanc opinionem confirmare videantur, e. g. Deut. 23. 21 - 25. Licet placerent Deo vota spontanea, ita ut illa concepta solvere Israclitas

elitas jubeat, nihilominus, si nil voverint, peccati hac in parte expertes pronunciat. Ita Paulus, licet majori apostolatui impedimento 1 Cor. 9:12. fuisse, si uxorem circuinduxisset v. 5. seque ali ab auditoribus passus esset v. 7. hoc tamen licuisse sibi adfirmsat v. 5. 6. 12. 14. 19, suoque arbitrio relictum fuisse, utrum facere vellet an minus, prorsus aliter ac demandatam sibi Evangelii praedicationem v. 16 - 20. Haec ad officia erga Deum spectant; unum etiam licitae imprudentiae exemplum, an speciem dicam? ex sacris Bibliis addam. Pauli tempore propter angustias Christianorum expediebat esse caelibem, & melius suae consulebat domui, qui filiam in matrimonium non collocabat, quam qui nubere permettebat v. 38. At cui *non tam bene* prospicere suis placebat, suo poterat frui arbitrio v. 36. 37. sine peccato v. 36. In his rebus alia concessa a Deo erant, alia praecepta v. 6. 10. Recensuimus haec, ut ostenderemus, quanto majorem oporteat de legibus divinis, Philosopho, qui minus de voluntate divina rescire potest, incertitudinem esse. Nos vero in hanc controversiam non immittimus, in qua forte pauca definiri possunt, pauciora licent; sed cum jura, certe humana, ex planioribus evincere doctrinis possimus, hanc etiam expeditiorem viam, & quae ad primas recurrit origines, sequendam esse existimamus.

### §. XII.

#### *De aequitate s. beneficentia.*

Sunt vero & aliae actiones, quas *aequas* judicamus, si etiam aliorum iura & nostram utilitatem non cogitaremus, qualis est, egentem sublevare, & vel ignota conferre in alios officia. Haec omnia ad unam redire regulam credimus: *laudabile est aliis benefacere sibique*, & hanc regulam aequam per se necessariam esse, ac veri & justi principia sunt, adfirmamus. Argumenta eadem sunt, quibus jam §. 10. jurium necessariam originem defendimus. Haec enim thesis 1) conceditur ab omnibus



2) a nobis demonstrari aliter, quam principium contradictionis, nequit (§. 6. n. 6.), 3) sufficit ad honestatem reliquarum actionum, quae jure requiri non possunt, dijudicandam, & 4) secundum hanc normam actiones laude dignas, atque quam Deus ipse laudabilis sit, cum vulgo aestimamus. Quaedam etiam hoc spe-  
ctantia praecedenti §. not. \*\*) monita sunt, quae nolumus re-  
petere. Speramus minoribus haec jam implicata esse difficulta-  
tibus. Duo modo ut addainus, supereft. Primum, nos ver-  
borum ordine id simul intendisse, laudabilius esse aliis, quam  
sibi, benefacere. Neque nostra haec, sed generis humani do-  
ctrina est \*). Deinde & hoc ex sensu communi in memoriam  
redigendum est, beneficentiae huic erga alios, vel aequitati aut  
honestati animi, vel quocunque appellaveris nomiae, nulla alia  
re, quam justitia sola, limites ponit; hoc est, libera esse & lau-  
de digna omnia beneficia, quae per jura aliorum conferre licet.  
Quis enim turpe non agnosceret, aliorum injuria cuiquam be-  
nefacere? at, ubi juste potes, tum sane quo longius in aliis  
mandis beandisque progressus fueris, eo majorem in te animum  
aequales & posteri laudabunt. Immo vero amorem illum, quo  
vel carissima perdimus, ne haec perdant alii, quo mortem pro-  
vita & commodis aliorum optimus, quemque insanum ami-  
citiae gradum aliqui judicant, sacra ipsa morum doctrina, si  
non praecipit, laudat certe & excitat. Hortatur enim Iohannes  
Ep. III. 16. IV. 7 - II. ut quemadmodum Christus vitam pro nobis  
*ex amore posuit, ita & nos pro fratribus ponamus.*

Denique quid sit laudabile esse, satis quidem scio, ut alii  
omnes, at verbis exprimere nequeo.

### §. XIII.

\*\*) Ita & SENECA de vita beata c. 20. *Hoc nempe ab homine exi-  
gitur, ut prosit hominibus, si fieri potest, multis: si minus,  
paucis: si minus proximis: si minus sibi.* Quae qui legere si-  
ne voluptate, sine adsensu possit, in eo sane non multum  
humani, praeter speciem, inesse, videor mihi jure adserere  
posse.

## §. XIII.

*Officia erga alios homines, nos, & Deum.*

Ex his regulis, quas hactenus explicavimus, quae cuivis erga singulos officia sint, facile intelligitur. Quum vero *officium* latinis admodum laxi ambitus vox sit, & omne id significet, quod vel ob justitiam (§. 8.) vel ob honestatem solam, (§. 12.) vel etiam ob prudentiam, agere conveniat; quae primi generis sunt, a re ipsa *officia debita* (obligationes, Germ. *Pflichten*) appellare possumus, reliqua vero *libera*. ALIIS itaque HOMINIBVS tanta *debemus officia*, quanta illorum in nos jura sunt, hoc est, obligationes nostrae juribus eorum sunt aequales (§. 9.) Oportet igitur aliis 1) parem illorum beneficiis gratiam referre, 2) justa promissa persolvere, & 3) sua relinquere. Et haec omnia praeterquam, quod justa sint, etiam laude digna judicantur (§. 6. n. 6.). Pluribus alios cumulare beneficiis, curteneamur, in ipsis ratio nulla deprehendi potest (§. 10. n. 2.). At per quam honestum tamen & laudandum est, quam optime mereri de omnibus, modo juste fiat (§. 12.). Quodsi vero philosopho credendum etiam est, Deum humanitatis officia praecepisse, sequitur, ea quoque debita esse, at Deo deberi, non hominibus, quibus conferuntur, simul patet. Iustum itaque locum inter officia erga Deum haberent, neque hinc aliis jus enaseretur illa a nobis postulandi. Considerandum vero hic foret, utrum Deus requirat, ut aliorum commoda nostris aequiparemus, an ut ejus majorem rationem habeamus, ex cuius salute major Deo gloria exspectari posset. Sed quam incertus legum divinarum rigor, certe quam parum creditus sit, antea (§. II. II. n. 3.) diximus. Bene habet, quod honestate ipsa actionum, perduci ad humanitatem possimus, si vel hac in parte dubii haeremus.

OFFICIA ERGA NOS, debita (*Pflichten*) nobis esse nequeunt, neque quo sensu ita appellantur, percipio, ubi obligationem non motivis,



motivis, sed defectu juris, constitui (§. 9.) memineris. Nostris enim renunciare juribus omnes possumus, ergo etiam obligationibus erga nos possemus, si ex juribus nostris quaedam oriorentur (§. II. I. n. 1.) Si Deus de his leges tulit, officia erga Deum sunt, & quantae amplitudinis sint, ex eo judicandum est, quod de officiis erga alios creditum fuerit. Neque tamen si libera omnia erga nos crederemus, multum periculi in moribus timendum esset, cum partim amore nostri & prudentiae regulis recte inculcatis dirigi possemus, partim jus in vitam & sanitatem nostram, si quid habuerimus, gratae nos cessisse reipublicae, censendum eslet. Nec utile solum, sed & laudabile hoc quoque foret, quam prudentissime vivere.

OFFICIA DEO *deberi* tanta, quanta in ejus gloriam singi possunt, quanta praestare sine culpa nostra vires non superat, negari nequit (§. 8.) At num de his quaedam Deus remiserit, hoc est, utrum omne jus suum, quod severiores, vel praecipuam solum ejus partem, quod plerique credunt, exsequatur (§. II. II. n. 3.), haec nobis diutius ponderanda, aliis definenda, relinquimus. Id omnes fateri videntur, sine summa impietate dubitari non posse, quin nos oporteat Deum, a quo noua plura commoda, quam ab aliis, sed omnia, acceperimus, etiam super alios omnes diligere; & si crederetur plura eum non requirere, tamen si pro illius gloria tua quaedam commoda relinqueres, ut meliora Deus optimus redderet, ne philosopho quidem incerta esset exspectatio, neque laude carere illa animi magnitudo posset.

#### §. XIV.

*Moralitatem requirere libertatem & vires, atque objectivam esse.*

*Moralitatem* existimamus eam dici actionum indolem, qua auctori suo laudi aut vituperio vertendae censentur. Ita & perfec-

perfectiones morales pro laudabilibus dicimus. At neminem laudem mereri, nisi in quo libere agat, neque vituperium ubi sine culpa sua vires ad agendum non sufficient, evidens est. Ita enim non machinae utiles, sed fabri, qui eas confecerunt, laudem merentur, neque homines laudamus ob cordis pulsuum, sanguinis circulationem cet., neque a brutis justa & honesta requiri mus, cum harum rerum, nullo suo vitio, ignara sint.

Cum igitur ostensum sit, & justa (§. 8. seqq.) & honesta (§. 12), quae utraque laude dignissima sunt (§. 6. n. 6.), sua natura ita esse, patet, nostra ex sententia moralitatem esse per se necessariam, vel ut dici solet, objectivam, & antecedenter ad voluntatem divinam cogitandam esse. Et nisi haec pertrahasseimus omnia, nequivissemus sperare lectores nobis credituros fore, justi, & aequi regulas non ex principio contradictionis & rationis sufficientis recte derivari, sed ipsas tamen indubias & fere primas menti humanae esse.



## C A P V T. I I I.

### PRINCIPIVM RATIONIS SVFFICIENTIS FALSVM VIDERI.

§. XV.

*Dispositio.*

**A**mbiguum esse principium rationis sufficientis, quod his comprehendi verbis solet: *Nihil est aut sit sine ratione sufficiente*, atque hac ambiguitate veri aliquid falso admiscere, communis illorum querela est, qui illi sese opposuerunt. Hoc cum nos pauca quidem scripta vidimus, sed tamen his satis

F

jam